

Forfatter: Langebek, Jacob

Titel: BREV TIL: Klevenfeldt, Terkel FRA: Langebek, Jacob (1742-10-27)

Citation: Langebek, Jacob: "BREV TIL: Klevenfeldt, Terkel FRA: Langebek, Jacob (1742-10-27)", i *Breve fra Jacob Langebek*, GYLDEN DALSKKE BOGHANDEL., s. 7. Onlineudgave fra Danmarks Breve: <https://tekster.kb.dk/text/letters-002054457-000-shoot-L0020544570000005.pdf> (tilgået 27. juli 2024)

Anvendt udgave: Breve fra Jacob Langebek

Ophavsret: Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk dog altid at kreditere ophavsmanden.

[Læs Public Domain-erklæringen](#)

Langebek, Jacob, *Breve fra Jacob Langebek,*

27. Oktober 1742.

TIL TERKEL KLEVE ².

Vir Nobilissime!

Superiores, quas à me accepisti, literæ promissum Tibi fecerunt de iterando proxime scribendi studio. Quoniam verò omne promissum cadit in debitum, et ludus sæpe in serium vertitur, evenit utique auspiciò, ut hisce Tibi (utinam non) jam iterum sim molestus. Desiderio meo præveniendi prævenit singularis Tua humanitas; vix enim prius meas e manibus tradideram literulas, quam in manus inciderit exoptata Tua, gratissima, officio et amoris plena, epistola ³. Quod valeas, magnopere s. gaudeo, et, ut inter Parisinas voluptates vigere perseveres, ex animo voveo. Iter illud, quod per Foederati Belgii provincias confecisti ¹, multis de causis mihi perplacet. Egregiam quidem laudem (non spolia ampla) retulisti, quod scrupulum illum et somnium verè Fossianum ², de tabulario Christiani Ildi Wilvordæ inveniundo, nobis ex animo evulseris. Dubitant meritò Viri illustres, Rostgardus, Tottius, Grammim (quos ante aliquot menses de ea re nomine Henrichsenii ³ consului), an unquam dictum tabularium ibidem loci fuerit, verisimiliter suspicantes, narrationem eiusmodi ex ore Domini de Lente, Consiliarii quondam Intimi, ftuxisse in cerebrum Fossii, qui quod ab aliis audiverit, pro suo forsitan venditat; Lentium enim, dum peregrinè abfuerit, tale quid in Flandriæ loco quodam (non quidem Wilvordæ, sed potius, Mechliniæ, Gandavi, alibive, et absque dubio in monasterio aliquo) vidisse, et huius argumenti literas ad Magnum Regni Cancellarium dedisse, certum est. Eisdem verò literas, si inter alias Lentii in Cancellaria nostra Germanica adhuc superessent, sane operæ pretium erat ex latebris eruere, utpote ex quibus hand parvum toti historiarum lumen affunderetur ⁴.

Atlantem Resenii, quod in Belgio offenderis, inopinata quidem, sed grata patriæ, tibi, nobisque omnibus, fortuna fuit ⁵. Utinam raræ selectæ tuæ librorum s. collectioni plures eiusdem farinae in Gallia fierent accessiones; utinam occurrerent Tibi Missalia, Breviaria et Biurnalia quædam Banica, Historia Oligeri Dani Gallice, aliisque haud pauci libelli, Parisiis et apud Gallos olim impressi; nec sane dubito, quin, Te statore, patriæ restituerentur. Illustris Tottius noster, vir inter seculi sui Nobiles eruditos facilè princeps, multam tibi salutem mittit, gratèque æstimat oblatum de Codicibus Bruxellensibus officium: Cum autem egregiam Missalium, ut vocant, Breviariorum, aliorumque Ritualium librorum, in membrana scriptorum et impressorum, collectionem jam diu possideat, eamque tam nitidam tamque lectissimam, id elegantiores codices aliunde sperare vix liceat, suis oeconomicè adqviescere mavult, quam non meliores impenso pretio adqvirere. Diploma illud, quo Rex Galliarum Hannibali Sehestedio dignitatem Comitatus concessit, non, ut putas, anno 1654, sed anni 1663 mense Aprili scriptum est. Be eiusdem Sehestedii apud Gallos mora et legationibus varia forsitan Parisiis invenies: ad minimum ceremonias, quibus ad Regem introductus est, apud Introductorem aulicum habere poteris. Et, nisi me fallunt omnia, de Ulefeldio aliisque memorabilibus Danis, qui, sive peregrinationis sive legationis occasione, in Gallia morati sunt, particularia quædam investigare Tibi facile erit. Nec foret ingratum, si expiscari placuerit, unde duas illas icones, ad patriam nostram pertinentes, scilicet Ingeburgis Galliarum Reginæ et Dorotheæ Lotharingicæ, Monumentis Monarchiæ Francicæ insertas, sumserit Celeberr. Montfauconius. Mihi verò hoc maxime gratificaberis, si decantatas istas cæce vetustatis reliquias, effigies nempe Petri cuiusdam Episcopi Roskildensis et S. Wilhelmi Abbatis Ebbelholtensis in Monasterio S. Genovevæ Parisiis asservatas, studiosè lustraveris, et, si operæ pretium, delineari curaveris. Certè, quantumvis etiam rudi penicillo depictæ sunt, si modò adsint vestustatis notæ, nobis cara erunt et rara antiquitatum Danicarum vestigia. Rosenkrantzium, Staffeltium et fortè s. 10 plures ex generosa juventute Danica apud exteros degere, certum est; num verò Lutetiam Parisiorum rectà tendant, affirmare non audeo: Comes autem junior à Daneskiold- Laurvigen adhuc domi est, et huiusmodi protectionis nondum cepit consilium. Salutant Te Grammius, Henrichsenius, Hoffmannus, et, quotquot novi, amici tui. Vale, Vir Nobilissime, et ama semper, quem semper amasti,

Tibi ex animo addictissimum

I. L.

Dabam Havniæ a. d. 27. Octobris 1742.

P. S. Mr. H. ¹ har fortalt mig, at Pladerne til Resenii Atlas ere fundne, quo indicare voluit. at Min Hr. Secretaire Kleves Exemplar ikke er saa rar: Men triumphen er ikke ret stor; thi tre eller fire af Pladerne ere gandske borte, og Resten saa forrustede, at de ei duer meget.

Til Hr. Justitz Secreterer Kleve à Paris.